

His sic constitutis, consideranda venit symptomata magnitudo & perniciosa; supervenientia ipsius alteri morbo diuturno ac gravi; celeritas ac perfectio sanationis; & modus, quo sanatus puer est. Et quoad primum, notum est, syncopem esse præcipitem virium lapsum & ruinam, Gal. lib. 12. *Method. med. c. 5.* tamque sævum atque horribile symptoma hoc est, ut recte dictum sit, syncopem esse incipientem mortem, mortem vero esse consummatam syncopem, nam syncopis transitus est ad mortem, idcirco à Græcis oxyntona dicitur, hoc est cito jugulans, ut ex Aretæo lib. 2. *Acut. cap. 3.* dixi alias lib. 4. *Quæst. Medico-leg. tit. 1. quæst. ult.* unde non datur in hoc affectu locus remediis, Paul. lib. 3. *sive Med. cap. 34.* & hoc quia nimis celeriter jugular, cum sit morbus ipsius Cordis; & morbi ipsius Cordis, statim atque inceperint, hominem perimunt; Galen. lib. 5. *de loc. aff. 2. & comm. 2. Aphor. 41.*

Accedit his supervenientia tam feralis morbi morbo jam diuturno, & gravi; laboraverat enim jam per mensem febre continua, ut unanimiter deponunt Testes omnes ad vigesimum interrog. itaque æger & ob ætatem, quia erat puerulus quindecim mensium, & ob morbum ex sua natura gravem, & quo jam per mensem erat exagitatus, in summa debilitate positus, à sævissimo & maximo morbo correptus, ex Naturæ necessitate animam exhalare cogebatur; cum quotidiana experientia constet, necessarii eos perire, quod magno morbo post alium morbum corripuntur; effectus enim jam viribus, ac spiritibus melioribus absumptis, amplius cum morbo luctari natura non potest, atque ea de causa morbi recidivantes magis, quam ab initio urgent, Hippocr. lib. *de intern. aff. Avic. 2. 4. tract. 1. cap. 95.* Vterius celeritas sanationis manifestissime concurrat ad hunc supermatorem effectum, cum puerulus illico à commendatione ipsius B. servo Dei Felicii facta in vitam redierit, & sanatus sit; quæ sanatio naturaliter procedere tam modico tempore non poterat, quia puer detinebatur morbo chronico ac

longo, qui non nisi concoctione, & longo tempore sanari naturaliter poterat. morbi enim hujusmodi sanantur per concoctiones, & abcessus, quæ sanatio diuturno tempore succedit; Gal. *comm. 6. Aphor. 36.* & ut magis magisque hæc sanatio appareat miraculosa, sit undequaque absoluta ac perfecta, non relicto ullo prægressi morbi, licet tam ferocis ac perneccabilis, vestigio, ut ex facto, & ex Testium depositione colligitur.

Denique modus, quo sanatur hic puer, recedit omnino à consueto naturæ more, exceditque omnino ejus vires: Natura enim si quis subito à morbo liberatur, omnino huic aliqua evacuatio effectus digna contingit, vel per vomitum, vel per ventris exoneratorem, vel sudores, vel urinas, vel sanguinis è naribus profluvium, aut ex fede per hemorrhoidas &c. quæ verba sunt Gal. lib. 3. *de Crisib. c. 7.* cum ergo hic puer à morbo magno & à symptomate maximo sit subito & in instanti liberatus, & à morte ad vitam revocatus absque ulla simili evacuatione, & absque ullo Naturæ motu, certe firmari debet, illum non naturaliter, sed supernaturaliter, sanitatem recuperasse.

Quod ut magis magisque innotescat, notandum, quod in syncope, ut jam dictum est, sit præceps virium lapsus ob præcipitem ac repentinam spirituum vitalium resolutionem, & prohibitum eorum influxum à Corde ad cæteras corporis partes; hinc fit, ut si qui à syncope sese recolligant, per longum tempus summam corporis debilitatem experiantur, neque tam facile ad pristinum vigorem resituantur, neque enim tam cito, ac tam celeriter fieri potest spirituum deperditorum regeneratio, unde qui sæpe ea præhenduntur, non modo viribus sunt semper dejectis, sed aspectu sunt illaudabili, & vultu pallido ac emaciato, unde etiam de repente moriuntur, ut Hipp. docet lib. 2. *Aphor. 41.* Hic tamen hujusmodi prægressi morbi reliquæ nullæ apparent, sed puer ad pristinum vigorem intercessione B. Felicii illico redit. Quare &c.

CONSILIUM XXXI.

ARGUMENTVM.

Cardinalis Benedictus Vbaldus morti proximus ex Apoplexia, pensiones aliquas transtulisse prætendebatur, parte contraria asserente translationem non fuisse validam, cum Cardinalis sui Juris non esset.

SUMMARIUM.

- 1 Apoplexia quid.
- 2 In Apoplexia omnis discursus, & ratiocinatio perit.
- 3 Si quæ pars ante morbum laboraverit, ibi firmatur morbus.
- 4 Apoplexia fortitudo unde cognoscatur.
- 5 Apoplectici cur moriantur.
- 6 Ex Apoplexia sese recolligentes ad pristinum mentis vigorem non facile redeunt.
- 7 In transferendo pensiones non sufficit transferentem haberi modicam cognitionem, sed requiritur discursus omnino sanus.
- 8 In conficiendo testamento & modica cognitio sufficiens est.
- 9 Difficilius conceditur translatio pensionis, quam impostio novæ.

Dupliciter supponendum est, Eminentissimum Cardinalem Benedictum Vbaldum bo. me. decessisse ex Apoplexia, quod non solum probatur ex depositione plurium Testium, quam diligentissime perlegi, & ex publica voce, & fama, sed neque controversi inter partes existimo. Est autem Apoplexia privati sensus & motus, cum abolitione omnium Animalium facultatum, præcipue autem Rationis & Memoræ, ita asseverantibus Medicis omnibus, ne uno quidem excepto, ut videri potest apud Auctores infra citandos, idcirco enim dicitur Morbus Attonitus, quod homines attonitos reddat, & extra se positos. Gal. lib. *de differ. morb. cap. 5. Cell. lib. 3. sive Med. cap. 26.*

Supponendum ulterius quod Apoplexia, ex qua prædictus D. N. N. extinctus est, ad alium morbum successit; nempe ad Melancholiam, hoc est, delirium melancholicum, vel insaniam, hæc enim illum

lum per plures annos detentum fuisse non modo ex plurium Testium depositionibus liquet, sed ex publica voce & fama, quæ etiam ad extraneos pervenit, ita ut credendum sit neque de hoc ullam inter partes posse eriri controverfiam. His sic stantibus, dicendum est, actus quoscunque juridicos à præd. D. N. N. factos, post ultimum Apoplexiæ insolitum esse undequaque initos, tanquam ab homine jam mortuo essent patrati, qui neque assensum, neque dissentium habere potest, & si qui tales actus in medium à quoquam producerentur, risu potius essent excipiendi, quam ulla probatione repudiandi. Ratio autem ejus rei est in promptu, & evidentissima, quia in Apoplexia omnis discursus, & ratiocinatio omni ex parte, & in totum perit, non enim, ut in aliis affectibus diminuitur, aut depravatur, sed in totum aboletur, quod tam in consesso est apud quoscunque Medicos, ut superfluum videatur ad eam conclusionem probandam Auctores congerere; si cui tamen libet, videat Gal. 3. *loc. aff. c. 5. & 10. & alibi, Cell. loco cit. Aretæum de acut. curat. lib. 1. cap. 4. Paul. lib. 3. sive Med. cap. 18. Aet. ferm. 6. cap. 27. & ex recentioribus, Capivacc. lib. 1. *pract. cap. 17. in primo. Massar. lib. 1. cap. 13. Mercurial. lib. 1. *pract. cap. 19. & per omnes alios Daniel, Senner. lib. 1. *Pract. par. 2. cap. 32. neque absque firmissima ratione id unanimiter Medici adfirunt, quia norunt in hoc morbo obstrui spirituum Animalium fontem, & sic impeditur eorum influxus ad partes, nulla actio ex animalibus celebrari potest, unde cum his & Memoria, & Ratio penitus occumbunt, ut omnes Medici cap. *de Apoplexia percurrere consueverunt.*****

Sed tanto magis habet locum in casu nostro prædicta conclusio, quia diximus actus à D. N. N. factos esse omnino irritos; quanto jam ex prægresso morbo principes Cerebri facultates erant vitiatæ, cum mente jam non constaret, quod patet ex secundo proposito. Receptissimum autem apud Medicos est Hippocr. auctoritate, quod si quæ pars ante morbum laboraverit, in ea brimatur morbus; Modo in D. N. N. laborabat cerebrum secundum principes facultates maxime Ratiocinatricem, ergo morbus superveniens firmatus est in eadem parte, ac magis magisque ejus facultates oblaesit, unde si antea diminuta ac depravata erat ratiocinatio, per novi morbi adventum est in totum ablata, & sic non potuit sufficere ad illum actum, qui sanam mentem requireret, faciendum, cum non distingueret agentorum bonitatem, aut malitiam, & esset omnino à mente alienatus.

Obijcere tamen facile pars adversa posset, quod Apoplexia non esset fortis, cum observaretur D. N. N. aliquando oculos attollere, & quosdam gestus facere, & ad interrogata per nutus respondere, quæ omnia evidens signum dabant in ipso adhuc servari aliquo modo rationem, ita ut sufficeret ad celebrandum actum illum translationis pensionis, quem fecit nutibus assentiens Notario, & aliis illum interrogantibus.

Sed hæc inania sunt, & ex successu falsitatis omnino insulmantur, quod enim hæc Apoplexia fuerit fortis, immo fortissima, probatur, quia fortitudo hujus morbi sumitur ex difficultate respirationis; quanto enim hæc major est, tanto Apoplexia est fortior, Gal. *de loc. aff. loc. cit. sed hæc non solum fuit magna, sed maxima, & extrema, quia ad extremum deveniens tandem omnino cessavit, & aboli-*

ta est, hominemque è medio sustulit, non enim alia ex causa, eodem Galeno teste, moriuntur Apoplectici, nisi quia in illis cessat respiratio, sine qua animal vivere nequaquam potest. Quomodo autem non erit dicenda fortis Apoplexia, quæ hominem spatio duorum vel trium dierum occidit?

Nec quicquam facit, quod D. N. N. moveret oculos & caput, & nutus aliquos faceret, quia hujusmodi gestus etiam in his, qui de proximo morituri sunt ex hoc morbo aliquando observantur, & tamen rationis nullo modo compotes sunt, neque intelligant quid agunt, aut quid illis dicatur, succumbente omnino ante alias facultates ipsa Ratiocinatricem, ut omnium Medicorum auctoritate satis constat.

Sed ulterius, si ægri, qui aliquando in Apoplexiam inciderunt, & ab ea resurgunt, nunquam pristinum mentis vigorem recuperant, sed tanquam stupidi plerumque manent, Actius loco cit. Senner. *ibid.* & alii permulti, quid decernendum censentur de homine, qui per contractum tempus mente non constabat, & alias ab Apoplexia fuerat vexatus? Sed dato etiam, quod D. N. N. aliquam licet valde modicam adhuc fervaret mentis sanitatem, quæ sufficeret ad respondendum per nutus interroganti, dico adhuc id nihil adversariis suffragari, & ratio est, quia non sufficit quæcumque cognitio, & modica mentis sanitas, ubi agitur de translatione pensionis faciendæ, non enim sufficit ad hunc actum celebrandum, in quo requiritur mens omnino sana, & ratiocinatio integra ac libera, non ut in testamento conficiendo, in quo actu satis est, ut æger non sit à mente alienatus, etiam si non sit omnino sanæ mentis, ut dicunt iureconsulti. Ioseph. Ludovic. *decis. Ferrus. par. 1. decis. 1. num. 14. ex Corneo conf. 261. lib. 3.* quia in conficiendo testamento modica cognitio sufficiens est, natura ipsa administrante & dictante, sua bona potius relinquenda filiis, quam amicis, & potius amicis quam extraneis, unde ipsa natura supplet aliquo modo rationis defectum; Ac in translatione Pensionis faciendæ non concurrit hoc naturæ dictamen, sed ejus actus deliberatio dependet mere ex discursu libero sanæ mentis, quo is, qui Pensionem transfert, assequi debet, an hic actus sit laudabilis, nec ne, cum fiat in præjudicium tertii propter oneris continuationem, quæ est evitanda, Gigas de *Pens. quæst. 12. num. 2.* nam idcirco difficultus conceditur translatio pensionis quam impostio novæ. Gigas *ibid.* Gratian. *diffisse. For. c. 397. num. 8.* ultra quod cognoscere debet qualitatem personæ, in cujus favorem pensionis translatio faciendæ est, & causam propter quam pensionem in illum transfert, quæ debet esse gravis, & legitima. at vero ad hunc discursum cum tot concurrentibus formandum, non modo non erit sufficiens D. N. N. post insultum Apoplexiæ præsertim, sed neque ad illum assensum dandum, cum Ratio in illo in totum periisset, nec minima quidem ex parte assequi posset, quæ erant assequenda, ut actus ille Translationis validus futurus esset.

Vnde mirandum profecto est, quoniam pacto quis tueri possit, hominem, qui jam à multis annis erat à mente alienatus, ab Apoplexia alias vexatus, & nunc de præsentibus ab ea detentum, in ipso morbi vigore, morti jam proximum potuisse actum illum translationis pensionis, qui sanam omnino, & nulla ex parte læsam mentem requirit, valide facere. Ex quibus, &c.

CONSILIVM XXXII.

ARGVMENTVM.

Puer quinquennis ex variolis strangulatus, ac semimortuus, per horam jacens, B. Felici commendatus, & oleo ejus lampadis inunctus, illico vocem magnam emittens reviviscit & sanatur.

S V M M A R I V M.

- 1 Variolæ quando salutaris, & quando exitiales.
- 2 Morbi status quando dicatur.
- 3 Variolis detenti quando moriantur.
- 4 Variola non solum externas, sed internas etiam partes obsidet.
- 5 Oleum morbillis & Variolis est adversum.
- 6 Miraculum clarius elucescit ex consequentibus ipsam sanationem.

Pura concurrunt ad demonstrandam sanationem hujus pueri fuisse undequaque supernaturalem, cum manifestissime excesserit omnino ipsius naturæ vires, quod ut concludenter demonstraretur, representandis ante omnia videtur totius morbi decursus, & status, qui sic habebat. Laborabat puer hic variolis, atque illis quidem pravæ ac malignæ naturæ, quia puerum tam male acceperant, ut ex earum levitate de proximo moriturus videretur, ut unanimiter deponunt Testis 16, & 17, & 18. ad vigesimum, ibi, *Venit à terminis morte à seculo tale quæ.* nam variolæ hujusmodi, præterquam quod essent malignæ naturæ, obsederant partes internas, ac præcipue spirituales partes, unde puer, ut iidem testes deponunt, *Pius non respiravit.* In hoc rerum statu supervenit puero suffocatio, & strangulatio, & pro mortuo habetur, cum absque motu, absque pulsu, & absque respiratione jaceret, ut concorditer deponunt iidem Testes super eodem.

His generaliter consideratis, modo peculiariter de singulis partibus hujusmodi narrationis veræ, & per idoneos Testes probatæ, considerandum; ac primo perpendenda venit ipsius morbi natura, quo puer detinebatur, qui morbus erat variolarum, qui certe puerilis morbus est, & plerumque salutaris, sed quando habet secum conjunctam malitiam & pravitatem, plerumque ne semper dicam, interimit. *Avic. p. 4. tract. 4. cap. 6. Mercurial. lib. 1. de morbis puer. cap. 2.* nam tunc variolæ pestis naturam induunt, & tanquam Pestilentes infectæ sunt, ut idem *Avic. ibid. & Mercurial. loco cit. asserunt.* & de similibus pestilentibus videantur *Forrest. l. 6. Obser. n. 41. & seq.* Has autem variolas tales fuisse patet, quia tam magnis symptomatibus concomitabantur, ut ex earum vehementia puer ad mortem usque ægroret, ut ex historia narratione patet.

Iam vero puer in statu morbi degebat, cum accidentia essent in summo vigore, & summa vehementia, summumque augmentum essent sortita, hic enim dicitur morbi status *Gal. lib. 1. de Crisib. c. 23. & alibi.* unde jam ex ordine Naturæ morbus vel puerum interire debebat, vel declinare; verum enimvero non declinabat, quia non modo accidentia persistebant, sed supervenerunt nova, ac sanctissima, nempe totalis præfocatio & strangulatio, ergo naturaliter mori incipiebat, vel forte mortuus

est, cum pateat tunc mori eos, qui variolis opprimuntur, cum supervenit prædicta strangulatio, sic enim *Avic. loc. cit.* Et plurimi eorum, qui moriuntur per variolas, moriuntur præfocati ex inquinantia. Igitur in via Naturæ hic puer non modo de necessitate perire debebat, sed jam forte perierat, cum omnia processissent ex naturæ ordine, immo ex violentia morbi, & supervenissent ultima ac læthalissima symptomata, quæ morienti homini supervenire ex præscripto naturæ, & ex vi morbi solent; nam puer strangulatus & suffocatus relictus est, ut ex depositionibus Testium clarè patet.

Ceterum rebus sic se habentibus; videndum, utrum puer in eo statu vel Artis præfocatus, vel Naturæ ope, aut ex miraculo potius sit ad vitam restitutus, ac profecto certum est, illum nullis Artis præfocatus fuisse adjutum, nam omnino de iis mentio habita fuisset ab ipsis Testibus, sed demus etiam Artem aliquid machinasse pro pueri hujus salute, jam nihil aliud Ars in hoc operari poterat, quam pectus, & spirituales partes ab inflammatione contracta liberare, & saniosas materias ab ipsis variolis emanantes aliquo modo emundare, quod maxime percreati succedere potuisset, vel forte per secessum: nam variolæ, ut annuimus, non solum carnosas & externas partes occupant, sed etiam internas omnes, & maxime Pulmones. *Avic. ubi supra, Fernel. de Abdit. Rev. caus. lib. 2. cap. 12. Paræus lib. 19. cap. 1.* Dan. Sennert. *de morb. infan. par. 2. cap. 2.* Oportebat ergo, ut dixi, has partes à sanie liberari, ut puer ad sanitatem restitueretur, quod & multis remediis, & multo tempore indigebat; at neque ulla remedia sunt adhibita, neque tempus multum in sanatione consumptum est, quia sanatus est, & liberatus à peraccanti suffocazione, immo inquam ab ipsa morte, subito & in instanti, ut ex processu, & ex depositione Testium clarè patet; ergo excluditur omnino Ars ab hac sanatione, cum nihil operata sit, & omnino insufficientes esset ad aliquod rectè pro salute pueri machinandum. Sed & ipsa natura etiam excluditur, quia ubi ex ejus præscripto Puer sanandus fuisset, necesse erat, ut eodem modo, quo de Arte diximus, pectus & pulmones ab inflammatione & incendio contracto liberarentur, & à variolarum sanie emundarentur, vel per sputum, vel per aliquam aliam excretionem, licet nulla alia convenienter exiisset, quam per sputum; quæ si succedere debuissent, non poterant succedere nisi in tempore, ut patet; at cum puer sanetur absque hujusmodi inflammationis amotione, & absque sanie expurgatione, & in instanti reviviscit, excluditur omnino etiam ipsa Natura ab hoc opere, quod omnino supra Naturam & miraculosum remanet.

Ex superabundanti autem in considerationem quoque veniat, morbum hunc non solum fuisse sanatum absque ullo naturalium remedium usu, sed sanatum fuisse remedio in Naturæ via, aut inani,

aut

aut contrario; nam sanatur applicatione, & inunctione olei lampadis ipsius B. Felicis, quod quid conferre posset homini moribundo & ex vi morbi suffocato, unquam consideret; sed adhuc remedium hoc erat omnino contrarium; quia oleum morbillis & variolis omnino est adversum, unde cavetur à Medicis, ne corpora hujusmodi oleo tangantur, adauget enim oleum inflammationem & putredinem, & tamen hic applicitum puerum à morte revocatur, unde certe dicendum, ad majorem miraculi evidentiam, nullam hic habitam fuisse Naturæ rationem, cum applicetur res adversa & noxia, ut factum alias tam in Veteri, quam in Novo Testamento, dicit *Valleus de fact. philosoph. cap. 34.* Præterea multo clarius elucescit miraculum ex

consequentibus ad ipsam sanationem: habemus enim puerum ita male habentem ex læsione spiritalium instrumentorum, ut neque amplius respiraret, neque in vita jam permanere posset, quia vel suffocabatur, vel suffocatus jam erat; applicatione olei sanatur illico, & respirat, ac clamat fortiter, quod nulla via ac omnino nullo modo naturaliter succedere potuit, quomodo enim ex tam morbifico statu, & ex tanta læsione, ad statum naturale illico partes redire potuerunt, ut ad efformandam vocem sufficientes essent; constat enim partes fuisse in summo debilitatis, & non solum fuisse insufficientes ad vocem formandam, sed ad ipsam respirationem. Hæc ergo omnino ex miraculo procedunt, non ex Naturæ ope. Quare, &c.

CONSILIVM XXXIII.

ARGVMENTVM.

Pecuniis in societatem datis sub periculo vitæ alicujus mulieris prægnantis, & illa decedente, quando amittantur, quando vero non.

S V M M A R I V M.

- 1 Acceleratio mortis ob causam prægnantiæ & partus non sufficit ad excipiendum lucrum pecuniarum.
- 2 Nullus casus mortis datur in prægnantiæ & partu, in quo ipse partus & prægnantia culpari non possunt.
- 3 Causa accelerans mortem in prægnantiæ & partu non est sufficiens causa exceptionis.
- 4 Causa, ex qua emanat effectus, est multo magis efficax, quam causa accelerans.
- 5 Prægnantia & partus non sunt causæ mortis per se.
- 6 Non satis est pro exceptione, prægnantiam & partum esse causas mortis impulsivas.
- 7 Causa impulsiva & coadjuvans non attenditur.
- 8 Vi contractus societatis sustineatur, necesse est dari in prægnantiæ & partu aliquos casus pro lucro.

Illustrissime & Reverendissime Domine: Rotæ illa conclusio, quod acceleratio mortis ex culpa prægnantiæ aut partus facta, sufficit ad hoc, ut lucro pecuniarum, quæ data sunt in societatem super periculo vitæ alicujus mulieris, non fiat locus, sed casus inter exceptos sit recensendus, subsistere nullo modo potest.

Primo, quia destruit omnino justitiam ipsius contractus, & reddit illum usurarium, quia cum nullus unquam casus dari possit eventus mortis in prægnante, aut parturiente, in quo ipsa prægnantia & partus culpam non habeant hujusmodi accelerationis mortis, ut in confesso est apud omnes Medicos, & late probatum est *lib. 1. Quest. Medico-leg. tit. 4. Quest. maxime 8.* casus omnis semper erit pro exceptione, nullique unquam erit pro lucro, & sic toto gravidationis & puerperii tempore, percipiunt fructus salvo capitali, quod est usurarium, & controverti non debet.

Secundo, quia repugnat omnino æquitati, quia si acceleratio mortis est sufficiens causa pro exceptione, dummodo dependeat à prægnantia, vel partu, idem erit de aliis casibus extrinsecis in aliis casibus, & ponamus aliquem pati pleuritidem vel squinantiam acutissimam, quæ sufficientissima causa

mortis est, & hic æger bibat vinum meracum, certe hoc vinum accelerabit illi mortem, & si pecuniæ curaret periculum ejus vitæ, salvæ erunt; quia mors accelerata est à causa extrinseca, quæ violenta est, & excipitur in instrumento societatis officii.

Tertiò, quia culpa mortis attribueretur semper in his casibus causæ minus efficaci, nam non est dubium, causam primariam, ex qua emanat effectus, esse multo magis efficacem, quam causam, accelerantem, & facientem effectum citius emanare; modo febris maligna est causa primaria mortis, ex ea enim sequitur primario mors, prægnantia autem & partus accelerant tantum, ut dicitur, mortem; sunt ergo minus efficaces causæ, neque effectus ullo modo ad illas referri potest.

Quarto, quia effectus mortis tribueretur non causæ, quia neque prægnantia, neque partus ex se occidunt aut sunt causa mortis, quemadmodum enim non potest dici ferrum occidisse aliquem, quia erat à ferrugine liberum, sed quia erat per se habile ad occidendum, sic non dicendum malignam febrem occidisse mulierem, quia erat gravida, sed quia ipsa maligna febris est habilis ad occidendum absque prægnantia, & semper quando occidit, est vera & adæquata mortis causa, & denuo adventicia accidentia, sive ad ipsam prægnantiam aut partum pertinent sive non; sunt soboles, & effectus ipsiusmet febris malignæ, ut in casu nostro, in quo & abortus, & diarrhæa, & cætera subséquuta fuerunt effectus malignæ febris præcedentis, ut patet.

Denique non desunt Doctores inter Inreconsultos, qui re optime perpensa docuerunt, non satis esse in casibus exceptionis prægnantiæ & partus, ipsam prægnantiam & partum esse causas impulsivas mortis, sed debere esse causas efficientes, primarias ac proximas: *Castro, de societ. c. 18. num. 19. & seqq. Boccac. de societ. n. 35. Zachias præd. tract. immo. 42. s.* Modo non est dubium, causam accelerantem mortem, non esse primariam ac proximam, sed secundariam, remotam ac impulsivam, & coadjuvantem tantum, quæ non debet attendi, nec in consideratione haberi: *Malvas. conf.*

126. num. 81. vol. 1. Gratian. discept. for. cap. 558. num. 23. Pro coronide autem illud addam, quod si contractus societatis in suo robore manutenendus est tanquam iustus, necesse est dari casus aliquos mortis in pręgnantia & parturiente, qui pro lucro faciant. & si ullus unquam casus similis dari de-

bet, ut dari necessario debet, certe nullus dari potest, qui minus dubium faciat, an pecunia sint lucrata, necne, quam pręsens casus, in quo sola maligna febris fuit primaria & adęquata causa mortis, pręgnantia vero & abortus tantum accelerantes & impulsivę.

CONSILIVM XXXIV.

ARGVMENTVM.

Stephanus Nocettus accusatus est, quod virginem violaverit, in carcerem conjectus & examinatus, ostendit se membrum obruncatum ac exile habere, virgo autem, quę violata pręfumbatur, loca habebat ampla, ac perpetuo fluxu albo humecta. Dicebam ergo.

SVMMARIVM.

- 1 Membri brevitatis impedit, quo minus vir possit penetrare ad violationem virginitatis.
- 2 Signa violationis virginitatis æquivoca sunt, & communia tam violationi factę per membrum virile, quam factę alio quocumque modo.
- 3 Virgines stuprantur absque ulla ampliatione locorum, cum loca habent humecta, ut immediate post menstruam purgationem.
- 4 Rubor observatus in virgine stuprata cessat per quindecim ad summum dies, & cur.
- 5 Virgo corrupta potest absque Hymenis dilaceratione, si virga virilis exilis est, & vulva muliebri ampla & humida.
- 6 Rugarum obliteratio in virgine constuprata quando, & quomodo fiat.

N Vllum fundamentum prorsus habet Fiscus, & adherentes, in quo fundare suam intentionem possint circa probationem pręsentę violationis Marię Franciscę Gismundę per D. Stefanum Nocettum patratę, nam neque in ipsa muliere ulla prędictę violationis signa apparent, aut apparere possunt, neque ipse D. Nocettus ob sui membri constitutione habilis esse potest ad virginem violandam.

Et primo, quoad hanc secundam partem, quę ipsum Nocettum respicit, apparet manifestissime ejus membrum esse exile, breve, flaccidum ac mutilatum; unde ob exilitatem stante etiam pręsentę mulieris stupratę amplitudine vasorum, & eorum perenni humectatione à muliebri fluxu, potuit introduci absque ulla violatione, quod tamen nequaquam fieri potuit ob ejus brevitatem, ex qua nullo modo potuit pervenire ad disrumpendam conjunctionem caruncularum illarum, quę constituunt signum virginitatis, ut ex inspectione ipsa apparet; sed neque potuit Nocettus Mariam Franciscam violare ob membri flacciditatem, cum non habeat vigorem naturalem ad hoc requisitum, cumque ipsę obstetrices pro Fisco examinatę, quę omnia futilia ac falsa deponunt, dicant vero se cognoscere violationem fuisse factam à membro flaccido, & minimi vigoris; quę depositio continet insanabilem contrarietatem, quia quomodo esse potest, ut membrum parvum ac flaccidum tantam violentiam faciat in virgine stupranda, quę vasa ampla & humidissima habebat, ut post quatuor menses à violatione signa manifesta aut apparentia per umbram in videndis relinquantur, hoc quidem omnino falsum & inverisimile est.

Denique, D. Nocettus non potuit Mariam

Franciscam violare ob ipsius membri mutilationem & contractionem, quia à multis annis ex morbo superveniente necesse habuit illud præcidere & cauterizzare, ut ex relictis vestigiis apparet, unde callum contraxit, neque in erectione multum extendi amplius potest, quę omnia probatione ulteriore non egent.

Quoad pręsentem mulierem stupratam non possunt, ut dixi, ulla signa explicari pręsentę violationis; quia nulla prorsus & omnino in genitalibus signa violationis apparere possunt, quod concludentissime probatur ex sequentibus.

Nam reliquam primo, quod signa violationis communia sunt & æquivoca, tam violationi factę à membro virili, quam factę ab ipsa muliere propriis digitis, vel instrumento aliquo, ut virgines lascivientes aliquando facere solent; hoc univēse scholę medicorum est receptissimum, & audacissimi mendacii insinulat obstetricum pro parte Fisci examinatarum depositionem, dum volunt cognosci per quędam signa, prędictam Mariam Franciscam fuisse devirginatam à membro virili, & non alias, quod falsissimum est, & contra præcipuorum medicorum auctoritatem, inter quos videantur præcipue Iouber. l. 5. error popul. c. 4. Ambros. Pareus lib. de renunciat. Augen. l. 1. epist. 100. 2. Fortunat. Fidel. de relat. Med. lib. 3. cap. 1. Codronch. cap. 11. in Method. resist. Valls. de sac. Philosoph. cap. 25. & inter Iureconsultos Cujac. lib. 27. Observat. c. 20. Sanchez de matrim. lib. 17. disp. 113. n. 10. quos omnes adduxi cum aliis alias lib. 4. questio. Medico-leg. tit. 2. g. 1. nu. 14. Sed neque hoc disiteantur ipsę obstetrices examinatę pro parte Fisci, ut Felix Campanella juxta §. interrogatorium.

Secundo, signa violationis quę ab obstetricibus adducuntur, non poterunt ullo modo vere observari in dicta Maria Francisca. Primo, quia jam pertransierant quatuor seu quinque menses, à quo violata pręfumbatur, & quoad id quod deponunt de apertura, prout in violatis observatur, ad rem non facit in casu nostro; quia alias notum habent Medici, quod ubi mulier loca ampla & humecta habeat, ut habet prędicta Maria Francisca, loca apparent per se ipsa ampla & disjuncta, ita ut aliquę virgines devirginentur absque ulla ampliatione vulvę, & hoc contingit maxime ubi devirginantur post menstruam purgationem immediate, hoc est, uno aut altero die; quę omnia optime observantur à Capivacc. loc. cit. & à Severino Pinæo l. 1. de nat. virg. cap. 6.

Quod deponunt de quodam rubore observato in ipsa vulva Marię Franciscę, falsissimum est, quia 4

hujus-

4 hujusmodi rubor, seu color mutatus, observatur primis diebus, & non ultra septem aut quindecim, ut omnes Medici fatentur, & ratio ipsa dicit: nam impressio facta à stupratore, & concursus sanguinis ad loca ob violentiam passam, omnino obliterantur prædicto dierum spatio ad summum: ita ut nimis à vero ablit quod obstetrices talem ruborem potuerint in Maria Francisca observare, quod si aliquis forte rubor apparuerit, is ex alia multum diversa causa apparere potuit quam ex stupro. Et tanto minus observari potuit hic rubor in Maria Francisca, quanto magis illa loca ampla & humidissima habent, & pręsens stuprator membro datur, ut dixi, brevi, exili, flaccido, & mutilato.

Sed profecto jam non potest harum obstetricum petulantia absque exandescencia tolerari, cum dicunt, orificium vulvę esse dilatatum, ita ut illa violata appareat, sed insimul fuisse violatam à membro minime crasso & flaccido; dum nimis enim affectant Fisci pręsentibus facere, non vident, se omnia deponere inverisimilia ac falsa; si enim membrum, à quo stuprata est Maria Francisca, erat tenue & flaccidum, non potuit ut dixi vulvę tam ample & humidę illam violentiam facere, aut illam dilatare, ullamve in illa impressionem relinquere; si enim, cum virga virilis tenuis est, & orificium Hymenis ampliusculum, absque Hymenis dilaceratione virgo corrumpi potest, ut restatur luculenter Capivacc. loc. cit. & alii: quid dicendum in

casu nostro, ubi mulier vasa tam ampla & humidā habet, & sponsum stuprator virgam habet brevem, exilem, ac flaccidam, & erigi ac distendi non potentem? Hęc quidem sunt adeo absona, absurda, & inverisimilia, ut mirum sit, Fiscum permittere ea in iudicium deduci.

Quod denique deponunt de obliteratione rugarum, quam observasse se dicunt in prædicta Maria Francisca, non minus vanum est, quam cętera ab ipsis attestata. si quid enim potest obliterare prædictas rugas, id poterit facilius perennis fluxus muliebri, quo Maria Francisca detinetur, quàm violatio per virile membrum facta, sed quęnam obliteratio rugarum fieri potuit à membro tam tenui, brevi, flaccido, & mutilato, per unicum antecedentem iteratam coitum? hęc quidem rugarum obliteratio fieri non potest, nisi à membro forti & crasso, & quod cum multa violentia conterat ipsas rugas, & per vim iteratam pluries aditum sibi ad interiora parat. sed jam ex ipsarum obstetricum confessione membrum, à quo illa est violata, est exile, & flaccidum: non potuit ergo prædictas rugas ita conterere, ut omnino obliterarentur, ita ut ne vestigiis quidem earum sit observatum, abeat ergo obstetrices hæc ignoratissimę, & audacissimę: quę enim deponunt, omnia merę nugę & deliramenta ipsarum sunt, nec quicquam contra sponsum stupratorem probare possunt. Quare, &c.

FINIS.



INDEX